



IV, 13.

Wc
97







IV, 13

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

IV, 13.



ORATIO PANEGYRICA
IN
AVSPICATISSIMVM
DIEM NATALEM
SERENISSIMAE
PRINCIPIS AC DOMINAE
DOMINAE
ANNAE AMALIAE
DVCIS SAXONIAE
IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE
ET WESTPHALIAE ETC.

IENAE D. XXIIII. OCTOBRIS A.C. MDCCLXI.

IN
CONSESSV SOCIETATIS LATINAE
OBSEQUENTISSIME DICTA
A
CHRISTIANO ADOLPHO KLOTZIO
ARTIVM MAGISTRO

I E N A E
LITTERIS FICKELSCHERRIANIS

ORATIO PANEGYRICA

AVSPICATISSIMVM

DIEM NATALEM

PRINCIPIS AC DOMINAE

DOMINAE

ANNAE AMALIAE



IN VILLAGIO CIVITATIS VIM ANGARIAE

ET WESTPHALIAE ETC.

LENAE D. XXIII OCTOBRIIS A. G. MDCCCLX.

CONSENSU SOCIETATIS LATINAE

OBSEQUESTISSIME DICTA

CHRISTIANO ADOLPHO RLOTZIO

ARTIVM MAGISTRO

—————

LENAE

LITTERIS TICHELSCHERRMANNS



SERENISSIMAE
PRINCIPI AC DOMINAE
ANNAE AMALIAE

DVCI SAXONIAE
IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE
ET WESTPHALIAE ETC.

PRINCIPI CLEMENTISSIMAE

SERENISSIMAE

PRINCIPIS AC DOMINAE

ANNAE AMALIAE
Virtutum effigiem, DOMINA, accipe blanda TVARVM,

Accipe, quod pietas fingere iussit, opus.

Si deus huic et splendorem deesse videbis,

Scito: non haminem pingere posse DEAM.

PRINCIPIS CLEMENTISSIMAE



ORATIO PANEGYRICA.

RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE,

VIRI SUMME REVERENDI, ILLUSTRIS, CONSULTISSIMI,
EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, NOBILISSIMI,
DOCTISSIMI,

AUTITORES OMNIUM ORDINUM HONORATISSIMI,



D icturus hodie de laudibus Serenissimae
Principis ac Dominae, ANNAE
AMALIAE, primum Deo optimo
maximo, rerum omnium moderatori
et conditori, quantas maximas ani-
mus noster capere potest gratias ago, qui felicissimum
hunc diem illucere nobis iucundissimaque luce ani-
mos nostros, communi Germaniae calamitate prostra-
tos, praeteritorum memoria percussos et futurorum
metu suspensos, exhilarari iussit et recreari, atque
omnibus civibus, toti Vinariae et Isenaco, aulae, huic



academiae, nobis summum gaudium et incredibilem
 voluptatem attulit. Nam quemadmodum nautis diu
 iactatis commoto mari, diu fulminum igne et vento-
 rum stridore territis, diu inter spem metumque du-
 biis nihil iucundius accidere potest, quam si subito
 astra caelo enitescere aut ipsum solem, obductum ante,
 nubibus caput exserere videant, ita etiam nobis horri-
 da belli tempestate perterritis, tanta circumcirca fulmi-
 num vi cadente, hunc diem nouas spes donare, no-
 uaque laetitia animum nostrum perfundere sentimus.
 Arsit quidem iam per quinque annos tota Germania
 tam funesto et atroci bello, vt nulla illius pars salua
 et integra sit, vt multae pulcherrimae vrbes dirutae,
 multae opulentissimae villae incensae, multa millia
 hominum occisa, agri vastati, aeraria exhausta, opes
 consumptae sint, atque nemo vsque eo Germani no-
 minis hostis reperiatur, qui hanc calamitatem sine la-
 crimis adspiciat; tamen hoc die, qui summis, infimis,
 mediocribus valde exoptatus et iucundus aduenit, qui
 Vinariae praestantissimam Principem, ciuibus amari-
 tissimam matrem, Germaniae atque omni Europae il-
 lustre praeclarissimarum virtutum exemplum dedit,
 nos omnis tristitiae obliuiscimur, omnem dolorem cor-
 de expellimus, omnium malorum memoriam depo-
 nimus, festum diem agimus, exulramus, atque ore,
 oculis, manibus illam, quae pectore contineri nequit,
 quae foras gessit erumpere, laetitiam testificamur.
 Celebremus, celebremus diem ad immortalem omnium
 temporis totiusque posteritatis memoriam aureis litte-
 ris in fastis consignandum: gratias Deo pro tam di-
 uino beneficio agamus, eundemque oremus, vt, qua
 nobis benignitate optimam Principem concefferit, ea-
 dem



dem illam conferuet diuque ciuium delictum, afflictorum per fugium, innocentium praesidium, miserorum solatium esse iubeat. In hac igitur omnium bonorum laetitia, in plausu terrae Vinariensis et Isenacensis, in faustis ciuium acclamationibus, quibus omnia personant, etsi facile intelligam lubenterque fatear, quemuis alium copiosius et melius, non dico diuinas AMALIAE virtutes laudare et commemorare (nam earum magnitudo vel excellentissimi oratoris ingenium fatigat omnemque eloquentiam superat) sed pium et laetum sensum exponere posse, idem tamen nullum, qui easdem virtutes me magis admiraretur et veneretur, qui, quod omnium pietas agere gestit, lubentius verbis praeceat faustisque ominibus, qui vt hoc gaudium perpetuum sit his terris, ardentius optet, reperiri posse arbitror. Quare cum is sit virtutum AMALIAE splendor, qui omnium oculos praestinguat animosque excitet et extollat, neque mirari debetis, Auditores, cum tot eruditissimi viri se deant, me peregrinum hominem, neque aetate, quae valde tenera est, neque ingenio, quod exiguum esse intelligo, neque dicendi vsu aut eloquentia, cuius exercendae perpauca habui occasiones, cum illis comparandum, hodie in hunc locum adscendisse, neque expectare a me, vt orationis sublimitate earum virtutum praestantiam exaequem, quas etiam cogitatione assequi difficillimum est. Licet huius ingenii imbecillitati summa tantum rerum capita attingere, licet non perfectam imaginem AMALIAE exhibere, sed diuinas virtutes adumbrare tantummodo. Vos vero tacita cogitatione atque animo reliqua prosequimini atque ita indicatore, quo pauciora a me dicantur, eo plura resta-

restare, et quo exilius ego tenuiusque ea percurram, eo maiora illa esse, quam ut a quoquam, si quis deus illi vel maximam dicendi vim atque facultatem concedat, explicari dicendo et commemorari possint.

Vnde vero exordium meae orationis reperam? unde primordia laudum AMALIAE capiam? Tanta se mihi copia offert, tantam materiam laudum conspicio, ut ipsa hac copia non mediocriter me perturbari atque inter ipsas diuitias pauperem esse animaduertam. Tot illustres atque eximias res video, ut quid primo loco ponam, quid ultimo, plane nesciam. Plerique quidem oratorum laudum initium a natalibus arcessunt, dicendique capiunt primordia a generis vetustate, nobilitate, splendore. Constat enim magnam esse vim sanguinis atque originis, atque plerumque praeclaris maioribus ortos eorum vestigia persequi videmus. Inde liberos semper aliquid ex indole maiorum cum ipso sanguine trahere, atque iam in iis semina quaedam magnarum virtutum inesse arbitrantur, quae efflorescant deinde et fructus ad rempublicam ferant amplissimos. Quorum quidem si institutum imitari vellem, quantum exultare possem, quot, non horas, sed dies et menses dicendo consumere? Nam, si in veterum temporum memoriam redire vellemus, singuli maiorum AMALIAE oratione laudandi et celebrandi essent. Quis ignorat antiquissimam domum Guelficam, illam tot heroum, tot sapientissimorum principum rerumque gestarum gloria insignium matrem, illam cum summis Germaniae atque Europae principibus sanguine et adfinitate coniunctam domum? Quis tot illustres Guelficos principes adspicit, quin praestinguetur et hebetetur acies oculorum isto fulgore? Est domus

✱ ✱ ✱

mus illustris gloria, heroes, qui plurima pericula adie-
rint, magnis copiis praefuerint, maiores hostium profligauerint, et maximis bellis gestis suo sanguine sibi nunquam intermorituram gloriam acquisiuerint, ostendere? ostendit domus Guelfica. In laude ducitur, principes, qui sapientissimas leges tulerint, libidinem et scelus constrinxerint, luxum et licentiam expulerint, omnibusque modis optime ciuium saluti prospexerint, habuisse? habuit domus Guelfica. Gloriosum censeretur, absoluta et perfecta fidei, integritatis atque pietatis exempla exhibere? exhibet domus Guelfica. Magnum aliquid est et eximium, defensores sanctissimae nostrae religionis et Germanae libertatis vindices commemorare? commemorat domus Guelfica. Intelligetis, Auditores, quam largam dicendi materiam, quam amplam copiam genus et maiores AMALIAE oratori praebeant. Quis enim nescit illum GEORGIVM, qui in fatali illo et pernicioso bello praeclaram Germaniae operam nauauit? quis WILHELMOS? quis ERNESTOS? quis CAROLOS? Neque vero domus Guelfica antiquis tantum temporibus ferax fuit virtutis et magnanimitatis, sed habuit etiam recentiori aetate, habet nostro tempore principes, quorum fortitudinem et sapientiam omnis posteritas praedicabit, quorum virtutes per omnium seculorum memoriam vigeant. Quo vero maiores in ipsa AMALIA virtutes splendent, eo lubentius de illis taceo. Laudare enim me sentio Principem, quae memoriae laudibusque praeclarissimae domus suis virtutibus magnum splendorem afferat, quae generis nobilitatem nunquam aliter, quam incitamentum virtutum considerauit, quae auitam et paternam felicitatem insignem

B sibi



sibi hortationem esse voluit, vt Ipsa positam ante oculos gloriam adsequeretur. Satis sit nobis, si in AMALIA indolem Guelficam agnoscamus; satis sit, si AMALIAM non aliter quam maiores suos ad gloriam, ad virtutem adspirare atque hoc in summis laudibus ponere videamus, si de humano genere bene mereatur.

Rapit praeterea ad se animum oculosque, neque diutius me de his dicere patitur diuina illa AMALIAE facies, in qua virtutem animi, amorem patriae, praeclearissimarum artium studium tanquam litteris descriptam et consignatam videmus: rapit ad se illa corporis maiestas et pulchritudo, quam natura ideo effinxisse videtur, vt dignum tot virtutibus sacrarium et delubrum pararet. Nam etsi corporis forma neque addit quidquam neque detrahit animi virtutibus, multo tamen iucundius laetiusque animus nobilis et generosus in pulchro domicilio habitare videtur. Iam vero si maiestatem corporis, si pulchritudinem AMALIAE pingere vellem, idem profecto agerem quod pictor, qui radios solis coloribus atque penicillo exprimere conaretur. Quis enim audeat, illam pulchritudinem, in qua formanda ipsa natura omnes suas vires experta esse videtur, describere? illum oris frontisque splendorem, qui ipsarum gemmarum nitorem, nisi exstinguat, certe obscureret et minuat, commemorare? illius maiestatem corporis laudare, quod ab ipsarum Gratiarum manibus, quae diu dignam sua venustate sedem quaesierant, formatum compactumque esse videtur? Hic vero clarissimus quidam antiquitatis pictor imitandus est, qui quae coloribus exprimi posse desperauit, velamento obtexit atque sic liberam spectatoribus iudicandi



candi copiam fecit. Ita etiam ego nunc faciam atque rem, quae nullis coloribus pingi, nulla oratione commemorari potest, silentio laudabo. Quoniam etiam natura, si formae pulchritudinem donat, inchoare tantummodo videtur magnum opus, et eximii aedificii fundamenta iacere, virtus adsit oportet et ingenium, quod animet illud opus, quod ei spiritum et splendorem addat. Inde etiam hanc maiestatem corporis, quam solum in aliis principibus admiramur, laudamus et celebramus, non magni AMALIA nostra facit. Magni enim hoc est animi, nobilis sibi que maiorum virtutum conscii proprium, non contemnere quidem, quae liberali manu in se contulerit natura, dona, sed meminisse tamen semper, alia esse, quae admirationem et cultum hominum atque omnium seculorum praedicationem mereantur. Laudemus igitur generis splendorem, laudemus formae pulchritudinem in iis, qui nobis nullam aliam rem laudandam praebeant, in quibus celebrandis omnia nobis anxie et curiose conquirenda sunt. In AMALIA, quae nos copia laudum obruit, attingamus talia, et quasi praetereuntes adspiciamus. Nam quem fauorem naturae AMALIA in formando corpore habuit, eundem etiam in tribuendis ingenii dotibus experta est. Non elegantem magis formam quam venustissimum ingenium admiramur, quod non dico principum sed vulgarem etiam hominum conditionem superat. Illa accurata in cogitando celeritas, illa elegans in iudicando subtilitas, illa acuta ingenii perspicacitas, illa in dicendo suauitas animum nostrum primum in admirationem mox in stuporem adducit. Rarissime profecto accidit, ut natura, quae parca saepius quam larga opum suarum dispensatrix est, tota



se effundat, atque ad vnum mortalem ornandum omnia conferat. Ideo alios diuitiis quidem abundare, sed nulla generis nobilitate conspicuos esse videmus: alii, et claris maioribus orti et opibus instructi, omni tamen formae pulchritudine destituti sunt: aliis denique frontis et oris honorem decusque affluit, sed quoties eodem ea parte, qua maxime homines sumus, qua ad diuinam naturam accedimus, parum intelligimus valere? Atque etiam in ipso tribuendo formandoque ingenio quam parcam, morosam et difficilem se natura praebet! Huic subtilitas, illi venustas, aliis celeritas, aliis tarditas, illis suauitas in loquendo, his iniucundum et difficile dicendi genus conceditur. Qua igitur admiratione *AMALIAM* prosequamur, in qua omnes eas virtutes coniunctas esse videmus, quas singulas in aliis miramur? Celeriter cogitare, acute et subtiliter iudicare, accurate quamquam rem intelligere, summa cum iucunditate cogitata eloqui, omnia haec propria sunt *AMALIAE*. Vos ego testes appello, qui illam aut vernaculo aut Gallico sermone loquentem audiui-
stis. Nonne vobis deam aliquam audire videbamini? Tanta est verborum elegantia, tantus nitor orationis, tanta suauitas oris et vocis. Ipsi Galli mirabundi *AMALIAM* sua lingua loqui audiunt, atque ipso, quo perfunduntur, rubore, elegantiam orationis fatentur. Et quid de venustate dicam, qua Princeps nostra de omnibus artibus iudicat? Quis artificum est, cui non dicat, quid pulchrum et venustum sit? quam eleganter de symphonia, de tabulis pictis, de statuis, de aliis dignitate principali dignis ornamentis iudicat? Hic pulchri et venusti sensus inprimis ex aedibus, ex hortis atque praecipue ex amoenissimo illo *AMALIAE* secessu, *BELVEDERE*, elucet. Nemo vestrum erit,
Audi-

Auditores, qui ignoret pulcherrimum locum, exteris quoque celebratum et in quo natura et ars certasse videntur, quae praestantissimum opus possit efficere. Illa quidem amoenissimum illum sensumque surgentem collem, vnde visus occurrentibus syluis modo coarctatur, modo latissimis pratis diffunditur et patefcit, illa serenum caelum, fontium gelidas perennitates omniaque quae oculum pascerent, creauit. Haec omnia expromsit, quibus naturae, aduersariae suae, victoriam dubiam redderet. Quae descriptio et pulchritudo aedificiorum! quae radiantes marmore columnae! quae pictura parietum! qui porticus! qui ordines arborum! qui prosilientes e marmoreis labris iucundo cum murmure fontes! Ipsi profecto parietes, xyphi et horti, splendidiore multo venustioresque redditu ac tantum non nouiter excitati, elegantissimum AMALIAE ingenium spirare videntur. Huc accedit singularis historiae scientia atque perfecta rerum in orbe gestarum omniumque in Europa aularum cognitio. Atque haec studia, quibus doctrina civilis et bene regnandi scientia comparatur, maximi in principe aestimari debent. Haec enim animum erudiunt, prudentiam alunt, mentem exemplis et praecipis instruunt: haec docent, quibus artibus regna ad summum fastigium euecta, quibusue vitis alia minuta sint et collapsa: haec omnium seculorum res maxime dispersas et distractas complectuntur et exempla in illustri monumento posita exhibent, vnde quid foedum inceptu, quid foedum exitu cognoscamus. Hac igitur doctrina instructa AMALIA illam praesentium intelligentiam, illam prouidentiam futurorum hausit. Deplorare profecto hoc loco lubet vestram sortem, o miseri principes, qui alienis auribus audiatis, aliena



lingua loquamini, alieno ingenio cogitetis. Adspicite AMALIAM; considerate prudentiam sapientiamque: audite suauitatem orationis, atque hinc discite, non dignitate tantum et potestate, sed ingenio quoque et prudentia superiores ciuibus suis esse debere principes. Etsi vero hae ingenii virtutes omni laude et admiratione dignissimae sint, sunt tamen aliae huius ingenii dotes, quae nescio quomodo magis animum alliciant, omnium amorem AMALIAE concilient Illamque non venerabilem magis, quam amabilem reddant.

Facile intelligetis, Auditores, me de clementia Principis nostrae dicere. Etsi enim Illa nihil, nisi quod magnum, quod nobile, quod dignum tanta Principe est, cogitat, tanta tamen suauitate, tanta humanitate, tanta clementia illam grauitatem condire, illam magnitudinem lenire didicit, vt ipsi nesciamus, vtrum venerari an amare magis Illam debeamus. Tanta comitate maiestatem temperauit, vt suavis ex vtraque contentus existeret. Traxisse videtur etiam hoc AMALIA nostra e caelo, vnde originem ducit, cuius signa maximam in omnes orbis partes vtilitatem diffundunt. Cogitate eam comitatem, qua summos et infimos excipit, qua cum ciuibus loquitur, qua sibi omnes ordines deuinxit. Non ignorat quidem, in quo se fastigio reum humanarum summus moderator collocauerit, neque tamen se hominem esse obliuiscitur, cuius summa virtus est humanitas. Nihil prius sanctiusque ciuium salute habet, nihil magis optat, quam vt omnes felicissimos possit reddere. Huc praeclarae Illius cogitationes tendunt, de hoc dies noctesque cogitat. Inde cuius ciuium AMALIAM suam non procul admirari, sed
coram

coram etiam venerari licet: inde omnium preces audit,
 omnes admittit. Vestram fidem appello, diuinæ hu-
 manæque sapientiæ in hac academia Doctores, vos te-
 stes facio, quos non semel AMALIA alloquio suo
 dignata est. Vos commemorabitis, qua humanitate
 vos exceperit, qua benignitate audiuerit, qua comitate
 responderit, qua clementia desiderijs vestris satisfecerit.
 Quæ tumin ore et vultu serenitas! quæ in oratione ac
 gestu humanitas! Cuius ciuium eadem libertate, eadem
 fiducia, qua filiis parentum, Principis nostræ auxilium
 et opem implorare licet. Sic enim sibi persuasit: non
 debere quemquam tristem a principe dimitti, et quo
 plura aliquo die maioraque beneficia tribuit, eo felicior-
 rem hunc existimat. Haec, hæc est illa virtus, qua
 AMALIA ad similitudinem deorum accedit, qui, li-
 cet potentissimi, simul tamen benignissimi sunt. Vran-
 tur alii principes potestate sua ad opprimendas respu-
 blicas: AMALIA ad recreandos miseros et susten-
 tandos pauperes vititur. Proferant longe lateque mul-
 to ciuium sanguine profuso imperii fines: AMALIA
 suos placido imperio fortunat. Misceant sacra et pro-
 fana atque bacchentur in publicis ruinis: AMALIA
 suorum salute nihil iucundius habet. Cingant tem-
 pora adspersa sanguine lauro, agant triumphos, tro-
 phæa sibi constituent: AMALIA in animis omnium
 praeclarissimum trophæum constituit. Verum, Audi-
 tores, adsit principi imperium, floreat maiorum fama,
 ingenio valeat: benignus etiam sit et comis: non per-
 ficient, non absoluent hæc principem. Viderunt an-
 tiqua tempora humanam quidem sed fallacem Cleopa-
 tram, et Olympiam sagacem, simulque malignam.
 Prudens fuit Semiramis et improba. Ex quo vero
 AMA-

AMALIA imperium suscepit, summam pietatem, iustitiam, prudentiam, et perpetuam pro salute ciuium curam coniunctas fuisse nostis.

Adductus enim meritissima et summa fama Huius omni laude omnique virtutis genere abundantissimae Principis, nullam digniorem iudicauit Diuus Princeps ac Dominus, ERNESTVS AVGVSTVS CONSTANTINVS, quam in matrimonium duceret. Priuauit igitur Brunouicenses terras praecipuo suo ornamento atque Vinariae suae nouum quasi solem intulit. Aduentu AMALIAE omnia bonis omnibus et acclamationibus personare: omnes sublatis in caelum manibus Deo gratias agere, plaudere, omnibusque modis infinitam laetitiam testificari. Quid vero auspicius, quid amabilius hoc coniugio cogitari potest? Tanta fuit voluntatis amica conspiratio, tam arcta animarum copulatio, tam iucunda concordia, tam mutuus amor, tanta virtutum aequalitas! Atque iam tum AMALIA se nulla alia de causa Vinariam peruenisse iudicauit, quam ut de quam plurimis bene mereretur, ut Serenissimi Mariti onus leuaret, ut vna salutem ciuium curaret. Verum non multo post tristi exemplo comprobati vidimus, quod iam toties comprobatum est: nihil esse in rebus humanis perpetuum, nihil diuturnum, nihil stabile. Recrudescit, recrudescit vulnus, quod amantissimi principis praematura morte omnium bonorum animis inflictum est: commoueri vos sentio memoria optimi Patris patriae, magnoque et acerbo dolore affici. Ille vester ERNESTVS AVGVSTVS CONSTANTINVS, cuius ex ipsius oculis generosus animus elucebat, quem omnes ciues certatim amabant, omnibusque horis oculis, auribus, complexu tenebant, cuius vitam

vitam quisque suis annis, discerpta aliqua parte ex constituto sibi viuendi tempore, prorogare paratus erat, ille igitur AVGVSTVS CONSTANTINVS in ipso flore aetatis extinctus est. Quid ego nunc lacrimas numerem, quibus omnium oculi madebant? quid querelas repetam, quae vndique exaudiebantur? quid gemitus, quid planctus commemorem, quibus omnia personabant? Quemadmodum olim Romae, morte Flauii Titi, Vespasiani filii, humani generis delicii, nuntiata, tanta perturbatio excitata est, tantus terror omnium animos occupauit, vt Senatus nocte etiam se in curiam conferret, maximasque mortuo laudes et gratias diceret, ita etiam CONSTANTINI morte omnes prostrati et percussi sunt. Lugebat religio suum defensorem, iustitia vindicem, veritas amatorem: plangebant ciues patrem suum, pauperes certissimum auxilium, afflicti dulce solatium: dolebant Musae decus suum et praesidium: dolebat haec Academia magnificentissimum Rectorem et nutritorem. Ipsi exteri non sine lacrimis audiebant, extinctum esse illum oculorum ignem, deletum illum animi vigorem, excelsum et magnum animum terram deseruisse: omnes vero ita iudicabant: ostendere hunc tantum terris Deum voluisse atque ad aliquod tempus perfectum boni principis et absolutum exemplum inter homines versatum esse. In hoc vero omnium luctu nihil fuit, quod percussos et tristes ciuium animos erigeret, quam iucundissimus AMALIAE aspectus, quo se vehementer recreabant, et e quo spem capiebant praeclarissimam. AMALIA se consolabantur ciues, afflicti, pauperes: AMALIAE vultu se oblectabat iustitia, iustitiaeque soror veritas: in AMALIAE aspectu luctuosissimum dolorem deponebant



nebant Musae. Immo tota Vinaria saepe eiusmodi vo-
 cem et orationem emittere videbatur: Quo iustu
 AVGVSTI CONSTANTINI mors me affecerit, vi-
 des, Princeps Serenissima: vides dolorem meum, vides
 lacrimas, quas gratus et pius animus Illi consecrat.
 Frangerer profecto, conciderem et desperarem, nisi ad-
 spectus Tuus me consolaretur. Teneram video aeta-
 tem Optimi Principis Iuuentutis, CAROLI AVGVSTI,
 qui ob annorum imbecillitatem neque mihi consulere
 potest, neque sibi. Ad Te igitur confugio: Tibi me
 trado, dico, addico. Memini, memini, quo adhuc in
 me animo fueris: recordor amorem, quo me complexa
 es: novi maternum animum, cuius neque pauca, ne-
 que dubia documenta edidisti: Te igitur oro, Te sup-
 plex precor, vt primum mei CAROLI AVGVSTI
 curam suscipias, deinde me ipsam eo amore, quo coe-
 pisti, prosequi pergas. A nemine aut rectius CARO-
 LVM meum institui posse arbitror, quam a Te, quae
 et natura et animo Illi mater es, aut me sapientius et
 felicius regi, mihi persuasi. Tibi obtemperabo, Tibi
 summum obsequium praestabo, Tua iussa summa sem-
 per cum voluptate exsequar. En dextra fidesque!
 Haec taliaque verba videbatur quotidie Vinaria dicere,
 ad quae quid AMALIAM fecisse vidimus? Lugebat
 Illa quidem CONSTANTINVM suum: dolebat iu-
 cundissimum Maritum, sed nunquam obliuiscabatur,
 quid sibi, quid CAROLO, quid ciuibus deberet. Cleo-
 patram legimus se Marco Antonio viuenti et, mortuo
 comi em addidisse: Artemisa, Mausoli, Cariae regis, vxor
 mortui ossa bibisse fertur: Portiam vero, Catonis fi-
 liam, post Bruti mortem, quia ferrum negabatur, ar-
 dentes carbones absorpsisse aiunt. O humiles et ab-
 iectos

iectos animos! o imbecillitatem hominum! Vtinam vobis per rerum naturam ad viuos redire atque AMALIAM, videre licuisset, quanta constantia, quanta animi fortitudine CONSTANTINI mortem tulerit! Recordatur Illa quidem CONSTANTINVM, sed recordatur ita, vt simul virtutes Illius sibi ante oculos ponat: retinet amantissimi Mariti memoriam, sed ita retinet, vt simul, quantum Ille ciues suos amauerit, cogitet: sentit et intelligit, quantum amiserit Vinaria, quam fidum patrem, quam bonum principem, sed ita sentit, vt simul se haeredem non tantum tot praestantissimarum virtutum, sed ipsius paterni amoris esse sibi persuadeat. Quibus igitur verbis de imperio AMALIAE dicam? Hebetari sentio animi mei aciem, tot diuinarum virtutum adspectu, quasi splendidissimo lumine. Sed quemadmodum de amplitudine et splendore solis ex illius radiis iudicare licet, etsi ipsum solem intueri nequeam, ita ego quoque, quamuis ad ipsarum virtutum splendorem animi oculos intendere non possim, me tamen quantae illae sint, ex optimis praeclarissimisque actionibus demonstraturum esse spero. Testantur enim afflicti aequitatem et iustitiam: loquuntur pauperes liberalitatem: praedicant summi et infimi benignitatem: musae benignissimam nutricem in caelum laudibus extollunt: pietatem ipsa templa restantur, testatur ipsa religio.

Primum igitur pietas, regina atque parens omnium virtutum ab ineunte aetate ab AMALIA adamata fuit et culta. Persuasit sibi verissime, tum demum ciues bene regi, tum terram felicem esse, si principes pietatis studio ducantur. In hac videt firmam esse omnem publicae felicitatis spem: hac spreta maxima imperia



corruisse, hac culta et domi et foris prosperrime res gestas esse intelligit. Nonne, secum inquit, ego Dei benignitati omnia debeo? nonne mihi haec omnia concessit? Ille CONSTANTINVM mihi dederat: ille Vinariam et Isenacum mihi donauit: ille me tot hominum principem et dominam esse voluit. Iam me deus illius terrae principem constituit, in qua sapientissimis optimorum Principum institutis maxime religionis cultus viguit et floruit. Me igitur aequum est vestigia tot piorum principum persequi: meum est providere, ne labatur sensim aut corrumpatur sacra disciplina: meum est prospicere, ne quid detrimenti respublica, neglecto Dei cultu, capiat. Haec igitur saepius AMALIA secum dicere videtur. Hinc etiam, quidquid agit, quidquid suscipit, quidquid cogitat, ad pietatis normam exigit: hinc vt religionis cultus quam maxime purus sit et in terris suis floreat, omnem curam adhibet. Et quid dicam de deuotione, qua templa Dei inuitit, qua publicis sacris interest? quid de veneratione, qua se diuinas res prosequi palam ostendit? quid de honoribus, quos piis et doctis sacerdotibus habet? quid de sumtibus, quos ad hos alendos atque ad templa sustentanda praebet? quid de seueris legibus, quibus disciplinam sacram emendat et regit? O felices ciues, quibus Domina et exemplum et norma pietatis est! o beatam Vinariam, quae AMALIAE precibus adiuuaris et piis institutis fortunata et felix seruaris! Verum etsi satis hic pietatis sensus in oculos iucurrat, maxima tamen pars animo et pectore flagrat, a nemine, nisi a Deo, aestimanda et cognoscenda.

Pietati adiunxit iustitiam, quae nisi a principibus colitur, omnia corrumpuntur, mores deprauantur, ciues

ues per fas nefasque ruunt, ipsa respublica eueritur.
 Est quidem in AMALIA tanta comitas, ut maior esse
 nequeat, sed ita eam temperare didicit, ut iustitiae ni-
 hil detraheretur. Quam sapientibus legibus fori dis-
 ciplina ordinata, quanta prudentia iudiciorum ratio de-
 finita est! quanta aequitate ius dicitur! quanta seueri-
 tate licentia constringitur et punitur! quanta alacritate
 innocentes et integri iuuantur! Constituit AMALIA
 prudentissimos viros, quorum fides saepius spectata et
 cognita est, qui non solum incorrupte ius dicant, sed
 bene quoque et strenue exsequantur, qui luxum, cer-
 tissimum rerumpublicarum malum, comprimant, inno-
 centiam recreent, audaciam puniant, scelus expellant.
 Neque tamen ille rigor est iustitiae, quem in multis an-
 tiquorum temporum legum scriptoribus exhorresci-
 mus, sed AMALIA ius, non sicut princeps, sed sicut
 mater, administrat. Ipsae poenae ciuibus iucundae
 sunt, quas sibi multo plus emolumenti afferre vident,
 quam indulgentiam quamuis. Nihil enim sibi magis
 persuasum habent quam hoc: optime AMALIAM
 suorum saluti consulere. Hoc etiam inde perspiciunt,
 quoniam Principem suam viros usu rerum, fide et in-
 ttegritate praestantissimos in consilium adhibere con-
 spiciunt. Malis consiliariis saepe atrocissima bella ex-
 citata, multa millia hominum caesa, ciues ad incitas re-
 ductos, florentissimas respublicas corruisse legimus.
 Quare non satis laudari potest AMALIAE patriae
 amor et sapientia in deligendis fidissimis prudentissi-
 misque consiliariis. His diuino Principis ingenio ani-
 matis quid mirum si leges valent, si mercatura viget, si
 affluentia rerum regnat, si suam religioni decus est?
 Deinde quoque grati praedicant prudentiam AMA-



LIAE in temperandis sumtibus. Si in antiquorum temporum memoriam redimus, multos inuenimus reges et principes non tam, quos ferre possent ciues sumtus, sed potius, quomodo suae siue ambitioni, siue voluptati satisfacerent, cogitasse. Inde aeraria exhausta, opes ciuium attenuatae, diuitiae consumtae, opulentia rerum e medio fuit sublata. Iam AMALIAE magnificentiam ante oculos vobis ponite. Magnus est aulae splendor, magna aedificiorum species, magnus in omnibus rebus ornatus. Prodeat vero, prodeat ille, quisquis sit, AMALIAE ciuium, qui se ad hunc splendorem sustinendum nimis oneribus premi, qui se exhauriri, qui sibi sua vel vi vel precario erepta esse iure dicere possit. Tanta est illius prudentia, tanta in temperandis sumtibus moderatio. Quascunque ciuium opes non magis suas, quam ciuium esse arbitratur: si ciuium bona consumat, se sua consumere: si his parcat, se sibi parcere: si illa augeat, se ipsam ditiozem fieri. Dispensatricem se plurimorum bonorum, benignamque ciuium nutricem esse debere, non eam, quae ipsa pecunias profundat, ciues exhauriat, rempublicam perdat. Videte, Auditores, amorem patriae, amorem ciuium!

Atque haec quidem etsi summa sint atque praeclara laude dignissima habenda, nescio tamen an maior sit cura, quam AMALIA dies noctesque pro ciuium salute gerit. Amauit amatque Illa suos, vt liberos, vt oculos, vt viscera sua, eorumque flore nihil habet prius, nihil antiquius. Quocunque oculos conuertimus ibi testes prudentiae, ibi documenta amoris Dominae videmus. Conspicitis mercaturam vigere? se AMALIAE cura vigere fatetur. Conspicitis opulen-

lentiam civium? se haec AMALIAE auspiciis collegisse praedicant. Conspicitis innocentes tutos et securos? hanc securitatem se AMALIAE debere agnoscunt. Conspicitis pauperes sustentatos? haec alimenta se ex AMALIAE benignissima manu cepisse lacrimantes prae gaudio commemorant. Quid denique de sapientissimis curis dicam, quibus hoc periculosissimo tempore terras suas complexa est? Diuinam profecto et singularem prudentiam hac calamitate atque omnium rerum perturbatione ostendit. Saeuiat bellum: tumuuetur ille sanguine et caedibus gaudens Mauors: comminetur tempestas: AMALIA gubernacula imperii tenet, atque Illa gubernante nulla hanc nauim tempestas merget.

Sed haec mihi pluraque alia dicere cupienti manu iniicit ipsa haec Academia, et me quasi increpat, cur quae in se contulerit beneficia AMALIA praeteream. Meminisse se dicit, quot et quanta beneficia Illi debeat: recordari se ait amorem singularem, quo has Musas semper profecuta sit: ante oculos sibi versari praedicat illas curas, quas pro sua tranquillitate et securitate gesserit. Tota profecto Academia, vna si voce uti posset, ita hodie loqueretur; Beatam me atque felicem, quae AMALIAE auspiciis floream! Adfixit plurimas Germaniae Academias atrocissimus belli furor: quasdam eheu! dissipauit: Musis studia ex manibus excussit. Ego quiete fruor et securitate: mei filii tuti litterarum studiis operam dant. Cui autem hanc quietem debeo? AMALIAE meae. Haec enim nihil omisit, quo mihi hanc securitatem pararet: haec omnia fecit, quibus me tutam praestaret. Haec etiam doctores meos maxima semper humanitate excepit, multisque honoribus ornauit. Haec quod ad famam meam seruandam augendamque pertineret omisit nihil. Quid benignae Huic meae nutrici reddam? quomodo gratam me ostendam? Preces fundam, Deumque immortalem orabo, ut sospiret, seruet omnique felicitatis genere cumulet AMALIAM. Audiamus hanc vocem, Auditores,

res, atque pie adhortationi obtemperemus. Quantis virtutibus Serenissima Princeps abundet, quantam civium curam gerat, quam perfectum et amabile bonae Principis exemplum sit, audiistis. Celebremus igitur hunc diem, qui tantum bonum terris concessit. O dies XXIV. Octobris! o pulcherrime dies! tu AMALIAM in lucem edidisti: tu Vinariae tantam laetandi materiam praebuisti: tu civibus tantam felicitatem attulisti. O dies, qui nobis gaudia, plausus, lacrimas, et ardentissimas preces exprimis! Agamus igitur, Auditores, agamus illi, qui tanti boni auctor est, gratias, utque haec gaudia perpetua his terris sint, precemur.

O Deus immortalis cuius summum numen initio oratio imploravi, nunc etiam sine illius precor. Tibi tota Vinaria, tota Isenacensis terra; se prosternit: Tibi religio, iustitia et aequitas supplices manus tendunt: Tuum numen tot miseri, inopes et afflicti implorant: Te tota haec Academia obtestatur: serua nobis huius diei laetitiam atque felicitatem. Tuere Principem nostram, tuere communem omnium matrem, AMALIAM. Fortuna et sospita Dominam. Ad sis tuo numine consiliis Illius, eorumque eventus prosperrimos semper esse iube. Tuo auxilio felicitas civium seruetur, servata stabiliatur, stabilita augeatur. Protege etiam Serenissimos Principes Juventutis, teneramque Illorum aetatem custodi. Protege CAROLVM AVGVSTVM atque in eo omnes virtutes AVGVSTI CONSTANTINI, qui nunc tecum est atque Ipse laetitia nostra exhilaratur, nobis redde. O tota DOMVS SAXONICA, tu tot heroum, tot generosissimorum Principum mater, floreas semper, vigeas, et nunquam non inconcussae fortunae et perpetuae felicitatis sis exemplum; omni vero posteritati augustum semper laetitiae et admirationis sis argumentum.





Ms 97



ULB Halle
006 542 581

3




12715

ME







ORATIO PANEGYRICA

IN

AVSPICATISSIMUM

DIEM NATALEM

SERENISSIMAE

PRINCIPIS AC DOMINAE

DOMINAE

ANNAE AMALIAE

DVCIS SAXONIAE

IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE
ET WESTPHALIAE ETC.

IENAE D. XXIII. OCTOBRI A.C. MDCCLXI.

IN

CONSESSV SOCIETATIS LATINAE

OBSEQUESTISSIME DICTA

A

CHRISTIANO ADOLPHO KLOTZIO

ARTIVM MAGISTRO

I E N A E
LITTERIS FICKELSCHERRIANIS

